

XLIII

ctorum que sunt quedam peregrinationes super terram. Deduxisti me domine in tabernacula ubi positus spero quod inde. Introibo ad altare inuisibile celestis hierusalem quo non accedit aliquis iniustus: at qui accedit sumitur in hoc locum ut in igne totus incensetur (ad dominum introibo qui letificat iuventutem meam) dando in immortalitatem et impassibilitatem.

Item. Confitebor tibi in cythara deus meus confessione laudis in tribulatione gratias agens: nunquam enim propter quemcumque huius seculi adversa a tua laude recedam. Consequenter vir alloquitur animam suam persuadens ei tristitiam huius seculi fugiendam per quam patientie robur frangitur: per hanc charitatis lumen extinguitur: per hanc spei nostre desiderium virtus mollescit et omnis vita confunditur (unde ait: quare tristis es anima mea? et quare turbas me?) dum deum adiutorem habeas?

Consolare anima mea. Spes in domino qui omnes seculi fluctus mitigat et in temptationibus protegit: qui omnia peccata condonat (quoniam adhuc confitebor illi) confessione laudis dicens (tu es salus mea: tu es salutare vuls mei et deus meus).

Psalmus XLIII. in quo confortantur infirmi fide

les admirantes cur martyres videatur hic deus derelinquere cum patres antiquos in manu valida legatur iuvisse.

Propheta in persona martyrum recolens beneficia a quo collata: ait. D

DEUS auribus nostris audimus intellectum nostro cognovimus et (patres nostri) prophete que gesta sunt illorum tempore retulerunt nobis. **Opus** quod operatus es in diebus eorum Moysi Josue et aliorum patrum scilicet (in diebus antiquis) Operatus autem es opus hoc scilicet quod **Potentia** tua morte et alijs modis (gentes disperdidit) terre promissionis scilicet amorreum eueum et alios (et plantasti filios israel: afflixisti populos) qui tibi erant: et expulisti eos de terra promissionis ut alios introduceas et regnum eorum tua misericordia confirmares. **Tua** virtute tua potentia hec facta sunt non eorum: nec in gladio suo non per bella sua (possederunt terram: nec robur eorum salvavit eos) quod non fuerent in manus inimicorum. **Sed** potentia tua salvavit eos et fortitudo tua et sapiens consilium a te eis datum: